

Janez Menart:

ANNO DOMINI

Ecce monasteri turrís vetus. Ante fenestram
Intus adest pater annalium scriptor venerandus
Ad mensam et calamum tenet intuiturque papyrus.
Sub muro flavescens tilia susurrat in aula,
Mititer flatus ramo tangit vitra fenestrae.
Utque dies abeunt, sunt ordine folia caduca.
Desertum veteres intra muros taciturnum est,
Ast illic extra est varians orbis spatiosus,
Nempe foris vita est, sunt prospera, sunt et egena,
Sunt partus, hymen, mortes, sunt ordo, tumultus.
Extra sunt motus acres et seditiones.
A vicis et ad oppida sunt via, semita, calles,
Hinc illinc multae ducunt tritae patulaeque.
Atque onera appendunt trutiná multisque ibi nummis
Fundus homoque, ager, arx, vicus sub pignore dantur.
Stringuntur gladii pro iustitia atque ob honorem,
Et procerés bellant cum principe pro dicione
Ac vectigali. Iam caedunt Hungari atroces
Caesaris assectatores, pestisque famesque
Interimunt illic. Turcarum personat equorum
Ungula conculcans templorum limina sacra.
Atria splendent illic, ad pocula plena
Nectuntur furta, insidiae, fraudesque dolique,
Spargitur in vinum virus succusque veneni,
In rixis crebris ob fundus servitiumque
Nunc obnoxium aratorem dominus necat arcis,
Mactat rursus herum castelli seditiosus —
Ecce foris illic it vitae fluctus alacris,
Qualis per valles ac trans iuga nocte dieque
Prisci coenobii ad muros alliditur usque.
Sed calamum intingendo ad mensam scriba meretur
Coelos, deserte solus, clemens tacitusque.
Hanc vitam spectat cum leto bella gerentem,
Quae scribat cumque ipse, supérfore noscit hoc autor.
Scriba pater notat ergo haud paucas res variasque,
Attamen haec haud pauca videlicet omnia non sunt —
Abbas advenit ei dicens: haec scribe, sed haec ne!